

comprehendi nequeant, recte in causis particularibus multa prudenti iudicis arbitrio (qualis impræsentiarum est episcopus) per jura citata commissa fuerunt, l. *Non possunt*, ff. de *Legib.* cum similibus.

21. *Etiā respectu religiosorum ab ipso ordinandorum* — Resp. II. Etiā respectu regularium pertinet ad episcopum ordines collatorum iudicare, atque in dubio determinare circa vitium corporis eorum. Ita Emmanuel Rodericus. tom. I. *Quæst. regul.*, q. 24, art. 4 hanc opinionem censens verissimam; Sylvester *ŷ. Corpore vitiatus*, n. 2; Navarrus, cit. n. 200, et consil. 1, n. 3, h. t. dicens in tali dubio ita esse recurrendum ad determinationem episcopi, ut non sufficiat arbitrium confessarii, neque alicujus prælati ejus, qui est ordinandus: idemque tradit Barbosa in c. *Cum de tua*, n. 4, h. t. citans alios. Ratio est: tum quia in cit. can. *Communiter*, dist. 33, et cap. II, h. t. tale iudicium committitur episcopis; tum quia nullo jure cogitur episcopus illum ordinare, cujus defectum corporalem iudicat irregularitatem, sicque impediatur licitam collationem, et receptionem ordinum.

22. *Et quid de religiosis jam ordinatis?* — Dicitur notanter, «ad episcopum ordines collatorum.» Quia non immerito post Mirandam, tom. II, *Manual. prælat.* quæst. 8, art. 3, concl. 1, hic distinguitur, atque allata doctrina intelligitur solum quoad regulares primum ordinandos; utpote quos episcopus ordinare non tenetur, si iudicet ipsos adeo gravi vitio corporis laborare, ut licite a se ordinari non possint. Secus quippe dicendum est de religiosis, post ordines jam susceptos in tale vitium corporis incidentibus: quia tunc stante dubio, an illud sit grave, seu generans scandalum, adeo ut impediatur ordinum jam susceptorum executionem, iudicium circa hoc ferre pertinet ad proprium prælatum regularem, utpote qui in suos subditos regulares ordinariam et quasi episcopalem jurisdictionem habet, c. *Abbatibus*, 3, de *Privileg.* in 6, ac proinde non tenetur prælatum ipsum remittere ad episcopum pro audiendo ejus iudicio, cum ipsemet istud circa suum subditum religiosum ferre valeat. Concordat *Summa angelica ŷ. Corpore vitiatus*, n. 5 ubi inquit, quod in religiosis exemptis iudicabit suus prælatum ordinarius, si dubitetur, an vitium corporis generet scandalum: quia isthæc doctrina debet habere locum saltem in religiosis jam ordinatis.

23. *Solvitur instantia ex Levit., cap. XXI, desumpta.* — Dices: Dominus Deus, *Levit.*, cap. XXI, generaliter præcepit, ut homo, qui habuerit maculam, non accedat ad ministerium altaris: si cæcus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, etc. Ergo frustra adhuc de his iudicare relinquitur arbitrio episcopi. Resp. negando consequentiam: nam imprimis præcepta judicialia, et caeremonialia Veteris Legis, in Christi morte fuerunt evacuata, atque obligare desierunt; licet postmodum quædam judicialia, ob suam naturalem æquitatem, per Ecclesiam sint reassumpta; prout uberius dixi in *Theolog. moral.* tract. II, distinct. 2, quæst. 1, n. 5 et 9 et seqq.

24. *Illudque explicatur.* — Deinde, quamvis allegatum legis Mosaicæ præceptum amplius ad litteram non obliget, nihilominus illud obligat etiamnum in sensu morali, ac mystico; prout pulcherrime declarat sanctus Gregorius Papa, part. I *Pastoralis*, cap. II, ac refertur can. 1, dist. 49. Ubi per *cæcum*, intelligit eum, qui supernæ contemplationis lumen ignorat, ac presentis vitæ tenebris pressus, venturam lucem nequaquam diligendo conspiciat. Per *claudum* vero, qui quidem quo pergere debeat aspiciat, sed per infirmitatem mentis vitæ perfectæ viam tenere non valet: et sic loquendo de cæteris, ad insinuandum, quod hujusmodi maculis quoad animam infecti, locum regiminis assumere non audeant nec propriis adhuc criminibus depravati, intercessores ad altare Domini fieri appetant pro culpis alienis.

25. *Mutilans seipsum, aut sui mutilationem sine justa causa procurans, fit irregularis.* — Quæritur IV. Utram mutilantes seipsos, aut mutilationem perpessi censeantur irregulares et ab ordinibus repellendi? Resp. I. Mutilans sponte seipsum, aut sui mutilationem sine justa causa procurans in quacumque parte corporis, fit irregularis, sicque ab ordinibus arceri debet. Ita communis; et patet ex cap. III, et V, h. t. argumento a sensu contrario desumpto. Idem habetur expressum can. *Maritum*, dist. 33, et can. *Si quis abscidit*, et can. *Hi qui se*, dist. 35, ubi is qui sibi ipsi abscidit virilia, etiam ad repugnandum vitio carnali, clericus fieri prohibetur: quia (inquit textus) «sui est homicida, et Dei conditionis inimicus.» Qua de causa ibidem, si quis, cum clericus fuerit, semetipsum absciderit, jubetur omnino damnari, hoc est, deponi, ut

explicat Glossa fin. in c. *Significavit*, 4, h. t., quia non licet alicui sævire in corpus suum; cum nemo sit dominus membrorum suorum, l. *Liber homo*, 13, ff. *Ad legem Aquilianam*.

26. *Licet solam partem digiti sibi absciderit.* — Atque hoc procedit non solum, quando quis semetipsum castravit, vel integrum membrum amputavit; sed etiam locum habet in eo, qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit. Nam etiam hunc ad clerum canones non admittunt, prout expresse dicitur in can. *Qui partem*, dist. 68, estque Innocentii Papæ; sicque indubitate habet vim obligandi.

27. *Haud obstante, quod alioquin defectus digiti non inducat irregularitatem.* — Nec obstat, quod alioquin defectus digiti non inducat irregularitatem, ut supra n. 14, dictum est. Non obstat, inquam: quia in talibus seipsos mutilantibus non tam consideratur defectus, quam effectus, seu prava voluntas, atque sævitia, qua quis ausus est sibi vim inferre ac ferrum injicere; prout cit. can. *Qui partem*, notatur.

28. *Habens sex digitos, potest unum resecare.* — Limitat tamen istud Glossa ibid. *ŷ. Digiti*, in casu, quo quis haberet sex digitos: nam posset tunc digitos superfluos resecare, sicut unguis, aut dentes nimis prolixos præscindere valeret. Verum talis resectio non fieret absque juxta causa; sicque non mirum, quod licita existat, dummodo possit fieri absque periculo vitæ, vel alterius gravis damni.

29. *Irregularitas incurritur, quamvis culpa abscedentis sibi membrum, vel partem ejus, non sit notoria.* — Insuper procedit conclusio, licet culpa abscedentis sibi membrum, aut digitum, vel partem ejus, non sit notoria. Siquidem canones n. 23, allegati, non fundantur in notorietate culpæ, ac delicti, sed in prava voluntate atque sævitia, quam quis erga seipsum exercuit. Nicol. Garcias, de *Beneficiis*, part. VII, cap. XII, n. 5, citans Glossam in cap. fin. h. t.; Suarez, disp. 51, de *Censuris*, sect. 2, n. 6 et 8; Molinam, *Tolentum*, et alios: quamvis Abbas in d. cap. fin. h. t.; Navarrus cap. XXVII, *Manual.* n. 198, ac nonnulli alii, ad incurrendam hanc irregularitatem requirant notorietatem peccati, quod quis seipsum abscindendo commisit.

30. *Aut ex zelo indiscreto, v. g. animo sedandi libidinem, quis seipsum mutilaverit.* — Procedit ulterius conclusio, tametsi quis ex zelo indiscreto, ut puta animo sedandi libidinem, vel existimando ea ratione se obse-

quum Deo præstare, semetipsum mutilaverit, aut castrari permiserit. Textus est in cit. can. *Hi qui se*, dist. 56, et c. *Significavit*, 4, h. t. in quo priori loco sermo potissimum est de laicis, causa sedendæ libidinis sese abscindentibus, qui simpliciter et totaliter fiunt irregulares, nec ad clerum promoveri sinuntur. In posteriori autem loco est mentio de presbytero jam ordinato, et se castrari curante, eo quod putaverit obsequium se præstare Deo; qui efficitur irregularis partialiter solum, ita et ab altaris ministerio quidem arceatur (sicque non possit celebrare Missam nec ut diaconus, vel subdiaconus solemniter celebranti ministrare; prout infert Joan. Andreas in d. c. *Significavit*, num. 3, et Hostiensis ibid. *ŷ. Quid sit impotentia*, et Layman n. 2, h. t.) possit tamen ex dispensatione sui episcopi cætera officia sacerdotalia peragere, solemniter baptizando, pœnitentes absolvendo, et hujusmodi.

31. *Castratus in infantia, vel ex justa causa faciens se mutilari, non fit irregularis.* — Resp. II. Sectus in infantia, vel ex justa causa faciens sibi virilia amputari, licite ordinari, atque in suscepto ordine ministrare potest; idemque dicendum de mutilatione ex justa causa facta in alio membro, dummodo exinde non impediatur exercitium ordinis, nec alia notabilis deformitas consequatur. Ita communis; et habetur decisum tum in can. *Si quis a medicis*, dist. 55; tum in cap. III, et V, h. t. Siquidem hic cessat ratio superius allata imponendi irregularitatem, videlicet perversa voluntas, et sævitia in seipsum, dum quis vel ignorans in infantia vel invitus, v. g. a latronibus secatur, aut mutilationem de concilio medicorum sustinet ad avertendum gravius malum corporis; ac proinde subintrat regula generalis, quod quis ob vitium corporis non repellatur ab ordinibus, nisi vel inhabilitas ad congruum exercitium ordinis, vel notabilis deformitas, scandalumque inde consurgat.

32. *Dans operam rei illicitæ, ac ex se periculosa, secuta sui mutilatione fit irregularis.* — Quæritur V. Utrum is, qui dans operam rei illicitæ casu amisit virilia, seu aliud membrum non impediens ordinis executionem, vel in pœnam commissi delicti ab alio iisdem privatus est, censeatur irregularis? Resp. I. Quando quis dedit operam rei illicitæ, quæ ex se est periculosa, seu inductiva totalis mutilationis, censeatur is secuta mutilatione sui manere irregularis: secus, si illa actio prava

ex se non est ita periculosa. Ita Covarruvias in Clem. *Si furiosus*, part. II, § 4, n. 19; Nicol. Garcias, part. VII, de *Beneficiis*, cap. XII, n. 10, et seqq. citans plures alios; quamvis quoad alteram partem non pauci teneant oppositum indistincte docentes, quod dans operam rei illicitæ, si casu perdat membrum aut in pœnam commissi delicti ab inimicis ipso privetur, fiat irregularis: ut Hostiensis in *Summa*, h. t. n. 4; Navarrus, cap. XXVII, *Manual*, n. 198; Jo. Andreas, et alii plures; qui inde concludunt, clericum illum censi irregularem, quem maritus cum uxore sua deprehendit, et de membris inimicis vindictum sumpturus, pudenda ejus abscidit: quia (inquiunt) hoc ipsi est imputandum.

33. *Et hujus ratio.* — Prima pars conclusionis est certa, et communis. Ratio est: quia ille, qui est causa culpabilis homicidii, vel mutilationis in alio factæ, censetur irregularis; ergo multo magis si est causa culpabilis talis mutilationis in semetipso. Antecedens patet ex c. *Presbyterum*, 7, et c. *Continebatur*, 8, de *Homicid.* ubi is, qui non adhibuit debitam diligentiam, ne ex sua actione sequeretur occisio hominis, hac secuta dicitur irregularis: sic enim homicidium illud censetur ipsi, saltem indirecte, et in causa voluntarium.

34. *Secus, si actio illa prævia non est ex se periculosa, seu inductiva mutilationis.* — Altera pars ex eo suadetur: quia hæc ipsa doctrina pariter respectu homicidii, vel mutilationis in persona alterius contingentis, solum procedit in casu, quo quis exercuit actionem pravam, et ex se periculosam, ne mors aut mutilatio sequatur, nec tamen adhibuit cautelam: prout liquet ex casibus, qui per citata jura referuntur. Concordat c. *de Cætero* 11, de *Homicid.*, ubi quidem dicitur, quod dans causam homicidio, sit irregularis; Glossa tamen *γ. Causam*, et Abbas, ibid. n. ult. hoc intelligunt de causa propinqua, forte quæ datur consilio, præcepto, vel opere: secus in remota, arg. c. *Exhibita*, n. 22, de *Homicid.* et L. *Qui domum habebat*, ff. *Locati*. Favet ad propositum textus in cap. ult. de *Homicid.* in 6, ubi ille, qui mandavit aliquem verberari, licet expresse inhibeat, ne occidatur, vel mutiletur, efficitur irregularis, si mandataris fines mandati excedendo mutilet, vel occidat. « Cum (inquit Pontifex) mandando in culpa fuerit et hoc evenire posse debuerit cogitare. » Et consequenter, ubi causa culpabilis est solum remota, neque ex se periculosa, ut mutilatio inde evenire posse cogitari

debeat, irregularitas non incurritur, argumento a sensu contrario desumpto.

35. *An sit irregularis qui deprehensus in adulterio, sicque mutilatus, amisit virilia?* — Atque conformiter dictis respondetur cum auctoribus hujus sententiæ, quod ille, qui deprehensus in adulterio, et per maritum uxoris mutilatus amisit virilia, non ideo fiat irregularis: quia hæc causa, etsi sit culpabilis, non est propinqua, seu ex se periculosa, atque inductiva mutilationis, sed solum remota. Nisi forsitan adulter ille omnino, ac bene prævidens periculum securæ mutilationis, ad fœminam illam accessisset: quia tunc sine sufficienti cautela culpabiliter se commisit periculo mutilationis, istamque saltem indirecte, et in causa sua voluit, ac proin hac secuta efficitur irregularis; prout suam sententiam limitat Garcias, loc. cit. n. 12 et 14, potestque in hoc sensu salvari doctrina Navarri et aliorum, supra n. 32 in contrarium allegatorum.

36. *Cum corpore vitiatis regulariter dispensat solus Papa. Et quidem non facile, quando deformitas est gravis.* — Quæritur VI. Quis possit dispensare super irregularitate orta ex vitio corporis? Resp. I. Regulariter loquendo cum corpore vitiatis ad suscipiendum ordines, vel in jam susceptis ministrandum, dispensat solus Papa; quanquam si grave sit vitium corporis et valde magna inde consurgat deformitas, ob reverentiam Sacramenti etiam Summus Pontifex non facile dispensare soleat, arg. cap. II, h. t. Ubi Papa, tametsi ex maxima gratia cum electo in episcopum dispensare intenderit, adhuc prius archiepiscopo, ejusque suffraganeis mandat ut considerent quanta sit deformitas, et utrum tale vitium corporis secundum canones, et consuetudinem Ecclesiæ sit indispensabile, ita ut scandalum in populo non sit timendum, atque exinde, quod sibi visum fuerit exequatur.

37. *Nec solet Papa directe dispensare cum corpore vitiatis.* — Et hoc ultimum ibi notanter additur, quia non solet Papa cum corpore vitiatis directe dispensare, sed rescribit potius ordinario loci, ut si ex inspectione oculari cognoverit non adesse tantam deformitatem, ut exinde possit in populo scandalum oriri, nec aliud canonicum obsistat, ipse dispenset. Rebuffus in *Praxi beneficiorum*, § de *Dispensatione cum corpore vitiatis*, n. 7.

38. *An aliquando cum ipsis etiam dispenset episcopus?* — Resp. II. Quando irregularitas

orta fuit ex culpabili abscissione membri, simulque membrum atque ipsum delictum est occultum, potest in ea episcopus dispensare, vi concessionis a concilio Trident., sess. 24, cap. VI, de *Reform.*, sibi factæ; Navarrus, cap. XXVII *Manual.*, n. 194 et alii. Alioquin autem in dubio poterit quidem episcopus benigne interpretari, seu declarare hic et nunc non adesse tantum defectum atque deformitatem corporis, ut irregularitatem inducat: non tamen in tali irregularitate dispensare, nisi vel ex speciali commissione Sedis Apostolicæ, ejusque auctoritate sibi delegata; ut c. *Significavit*, 4, h. t. ac notat Abbas ibid. n. 2 et Barbosa n. 3, citans communem. Vel nisi casus illi sint jure expressi, ut cap. I, h. t. et concordant dicta superius, tit. II de *Constitutionibus*, § 18, n. 463 et 466 et seqq. (ADNOTATIO LVIII.)

## TITULUS XXI.

## De Bigamis non ordinandis.

1. *Bigamia et polygamia quid?* — Quæritur I. Quid sit bigamia, et unde inducat irregularitatem? Resp. I. *Bigamia* proprie aliud non est, quam successiva reiteratio matrimonii. Et additur, *successiva*; ad differentiam *Polygamie*, quæ est simultanea pluralitas uxorum, qualis olim ex divina revelatione, atque dispensatione, patriarchis Antiquæ Legis permissa fuerat, c. *Gaudemus de Divortiiis* cum similibus. Idque ob paucitatem fidelium, ut nimirum hoc modo vera fides, et agnitio unius Dei, cœli terræque conditoris, quæ ob grassantem tunc undequaque idololatriam propemodum extinguebatur, saltem in posteris Abrahamæ copiosius conservaretur.

2. *Polygamia nunc prohibita.* — Nunc autem in lege evangelica penitus est reprobata et per Christum Dominum sublata polygamia seu simultanea pluralitas uxorum ut: *Matth.* XIX, 9; *Marci* X, 21; *Lucæ* XVI, 18, et cit. c. *Gaudemus de Divortiiis*, ac alibi; estque novissime definitum in concilio Trident., sess. 24, can. 2.

3. *Bigamus, trigamus, quis et unde sit dicatur.* — Proinde *Bigamus* proprie vocatur ille qui diversis temporibus, et successive duas legitimas habuit uxores, et cum utraque matrimonium consummavit. Hostiensis in *Sum-*

*ma*, h. t. n. 2. Et dicitur *Bigamus*, quasi mo bini conjugii, seu binæ mulieris maritus, sicut *Monogamus*, dicitur unius uxoris vir, can. *Unius uxoris*, dist. 26, a *monos*, quod est unum, et *gamos*, quod est conjugium, vel mulier, ut explicat Glossa ibidem. Hinc *Trigamus*, qui tres; *Octogamus*, qui octo successive habuit uxores; et sic loquendo de aliis can. *Aperiant*, 31, q. 1.

4. *Bigamia inducit irregularitatem.* — Resp. II. Quamvis priore uxore mortua licitum sit ad secunda vota transire; ut patet ex toto titulo, de *Secundis nuptiis*, et alibi; nihilominus ejusmodi bigamia, seu successiva pluralitas uxorum, inducit irregularitatem; ac proinde bigami ordinari prohibentur. Ita communis; et patet ex Rubrica præsentis tituli, quæ inscribitur: *de Bigamis non ordinandis*: sicque quia reddit sensum perfectum, deservit pro regula negativa. Idem liquet ex nigro præsentis tituli, ac toto ejus progressu, una cum pluribus concordantiis.

5. *Quæ descendit ex traditione Apostolica. Nuptiæ terram replent, virginitas cœlum.* — Porro hujusmodi irregularitas ex bigamia proveniens, ac per diversos sacros canones declarata, descendit ex antiquissima traditione Apostolica, juxta illud Apostoli I *Tim.* III, 2 et 12. *Oportet episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum.* Et infra: *Diaconi sint unius uxoris viri.* Intellige, non quod necessario debeant esse uxorati, sed quod non plures debeant habuisse uxores: et sic verba affirmativa exponuntur negative, Glossa can. *Unius uxoris*, dist. 26, *γ. Unius*. Unde, qui nullam habuit uxorem, non prohibetur ordinari: imo tales liberius, et affectuosius sunt admittendi, can. *Ante triennium*, dist. 31, et can. *Catinensis*, dist. 61. Ac merito: « quia nuptiæ terram replent, virginitas cœlum, » prout dicitur can. *Nuptiæ*, 31, q. 1.

6. *Irregularitas bigamiæ oritur ex defectu sacramenti; et cur?* — Communiter autem hæc irregularitas dicitur oriri « Ex defectu sacramenti, » ut notatur can. *Acutius*, dist. 26, et c. *Debitum*, 5, h. t. Siquidem matrimonium consummatum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem: juxta illud Apostoli *Ephes.*, v. 32. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico, in Christo et Ecclesia.* Hæc autem significatio deficit in matrimonio cum secund uxore, vel cum vidua, aut corrupta contracto et consummato: quia talis non est conjunctio